

simus princeps dominus Mathias Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Dominus noster graciosissimus, vt nullo vnquam tempore ad solucionem alicuius contribucionis nos et ipsos Regnicolas coarctabit, nec adstringet, nec irrapiet, sed neque petet. Sed magis in omnibus antiquis libertatibus et graciis, quibus scilicet predecessores sui Reges nos et dictum Regnum tenuerunt, realiter tenebit. Ideo nos vnanimi omnium voluntate pro prefato domino nostro Mathia Rege fideiubemus et promittimus in verbo veritatis ac bona fide Christiana nostra penes prefatum dominum nostrum Regem, vt ipse a modo deinceps nullo vnquam tempore nos et dictos Regnicolas ad solucionem alicuius contribucionis compellet, nec adstringet, sed omnia premissa effectiue obseruabit. Nos vero nunquam dabimus aliquam contribucionem, nec irrapere permittemus, harum nostrarum uigore et testimonio literarum mediante. Datum Bude Sabbatho proximo post festum Ascensionis Domini Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.

(Locus Sigillorum impressorum, et quidem in cera rubra numero novem, in cera viridi numero septem.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 25.

CXLII.

Anno 1462. Feria 2. post festum Ascensionis Domini. Budae.

Mathiae Regis promissum de non exigenda a Nobilibus Regni Hungariae contributione anno 1462. factum, atque speciatim Regno Slavoniae exaratum.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit vniuersis. Quod, quia fideles nostri Prelati, Barones et Nobiles huius regni nostri Hungarie vniuersi pro recuperacione Sacre Corone huius Regni nostri in hac Congregatione generali eorum vnanimi omnium voluntate contributionem vnus floreni auri pro hac vice exoluendam disposuerunt: Ideo nos in verbo nostro Regio, ac fide nostra christiana mediante, promittimus, ipsos Prelatos et Barones ac Nobiles huius Regni nostri Hungarie ad solutionem alicuius contributionis nullo vnquam tempore coarctabimus, nec adstringemus eosdem quoquo modo, et neque petemus ab eis aliquam contributionem, sed magis ipsos et quemlibet eorum in antiquis